



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput IV. Persequens Monasterium B. Meinulphi de cælo punitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

jam ædificia sua suæque villæ justo DEI judicio comburi cernens maximis doloribus afficiebatur, atque opprimebatur.

C A P U T IV.

Persequens Monasterium B. Meinulphi de calo punitur.

AD Laudem, & honorem Omnipotens DEI, Genitricisque ejus gloriosæ Virginis Mariæ, ac B. MEINULPHI Confessoris miraculum circa Beati MEINULPHI Monasterium factum cunctis palam facere me delectat. Anno Incarnationis Domini M. CCCCLIII. ipso die Ascensionis Domini temporibus, quibus bellum & seditiones inter Militares, qui *Westphali* nominantur, ex una parte, ex altera parte inter Militares, qui *Brenkenses* nuncupantur, gerebantur, iidem Westphali, nescio ob quam causam unâ cum Canonico quodam Ecclesiæ Paderbornensis, ac alio præcipuo Militari litteras diffidentiae ad nostrum Monasterium B. MEINULPHI transmiserunt, quod cum cuidam devoto Laico manifestatum, ad genua se prosternens ter *Pater & Ave* devotè in istum finem persolvit, ut Dominus DEUS inhabitantibus dictum Monasterium de præfata comminatione litteratoria suam misericordiam tribuere dignaretur, darètque signum, quo & iidem adversarij, qui prædictas litteras miserant, secundum intentionis propositum non peccarent, & dictos Regulares in pace relinquerent. Dum hæc litteræ Venerabili Priori tempore, quo se pro summa Missa celebranda præparabat, præsentatæ fuerunt, ante aperitionem tristitiâ quâdam obruebatur, sed Deus servum suum nolens inconsolatum relinquere contigit, ut dum in Offertorio Missæ tunc temporis decantandæ hoc complexum: *Dominus in voce tubæ* alacriter à Fratribus cantaretur, dictus Prior non leve solatium de concepta tristitia recipere merebatur, nam sicut in die Ascensionis Domini omnes Angeli quasi tubali voce, & quodammodo increpatoria Apostolis loquebantur, ita vox auditu satis perhorrenda, ac si prædictos corripere vellet adversarios, de excelsis intonuit. Eodem die prandiô per Conventum jam peractô, & Canonico, qui antè dictas litteras miserat, cum nonnullis in itinere equitante

tante (licet nulla aëris inclementia appareret) attamen tonitrua valde terribilia, quorum simile vix unquam à me aut ab alijs auditum fuit, insonuerunt, quod tonitru suâ vehementiâ superveniens unum de caballis illius Militaris, qui Westphalorum præcipuus habebatur, cum sessore suo in terram prosternens caballum velociter interfecit, lancea verò, quam sessor dicti caballi post Dominum consueto more duxit, in subtilissimum pulverem comminuebatur: quo peracto dictus Canonicus mitius præ cæteris in comminationum litteris scribens, mitius etiam in horribili facto secum actum fuisse expertus est; nam licet ejus caballi periculum mortis evaserint, tamen in tantum debilitati sunt, ut gressum facere non valuerint; tertius, qui litteras dicto Monasterio transmisit, post hoc horribile factum de caballo cecidit, brachiūque fregit. His explicatis audiatur nunc consolatio Prioris supradicti. Etenim Westphali visis tot miraculis tanto timore perculsi erant, ut nuntium ad dictum Priorem mitterent, ut eos accedere dignaretur humiliter petentes; qui dum ad eos jam pervenerat, non exiguam humanitatem eidem exhibentes pacem inter ipsos, & Monasterium B. MEINULPHI firmiter se observaturos promittebant, quod & factum fuit, quia non solum supradicti Westphali, sed etiam Brekenenses ob præfatum horrendum factum manu violenta dictum Monasterium invadere metuerunt, ne similis aut major vindicta de cælis super illos eveniret, & idcirco tam firmum pacis fædus inter illos sancitum fuit, ut ne quidem jumenta illorum, ut antea factum erat, raperent, aut rapi permitterent; postquam autem præfata pax per dictos Westphalos, & eorum adjuutores in Monasterio B. MEINULPHI oretenus expressa fuit, ecce tres caballi, de quorum ulteriori sanitate desperatum erat, pristinam sanitatem receperunt.

C A P U T V.

*De muliere, qua tempore, quo Regulares persequabatur,
infirmata facta mortua est*

Cujusdam Militaris uxor quadam vice minus rationabiliter super Canonicos Regulares Monasterij B. MEINULPHI graviter turbabatur; Hoc dum Subprior Monasterij B. MEINULPHI nomine